Tentamen medicum inaugurale de ambustionibus ... / eruditorum examini subjicit Gulielmus Kent.

Contributors

Kent, William, 1802-1861. Woodforde, James Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi: Excudebant Abernethy & Walker, 1823.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/cr9pm946

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection 183 Euston Road London NW1 2BE UK T +44 (0)20 7611 8722 E library@wellcomecollection.org https://wellcomecollection.org



DI AMBUSTI DEDTE SE II DESIRED LOS LOS D. GEORGII B. KOTOJ DISIO ET NORTHISSENE PACULTAT Pro Gradu } MANDER IN MEDICINA MON DEPENDENT NA GULIELMU CHILDRE Kalendar Angundi, horo DECEMBER LANDSCORES XDCCCXXI

TENTAMEN

AMPLIASING SENATUS AC

THE REPORTED IN

Engin

EDINBURG

(5-)

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

AMBUSTIONIBUS;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, IET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS KENT,

Anglus,

CHIRURGUS,

SOC. MED. REG. EDIN. SOC.

— Miseris succurrere disco.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

MDCCCXXIII.

TENTAMEN MEDICUM

STARTOUAKE

AMBUSTIONIBUS:

OF REPORTS ASSESSED.

D. GEORGIF BATRIDUSS, T.P.

CORRECT PRINCESS PRINCES.

MODERNIN

NORTHERN SENATOR ACCOUNTY NAMED OF DECRETO

Pro Gram Bartage

THORSE OF STREET, STRE

NAME AND POST OF REAL PROPERTY OF REAL

GULDELMUS KINGE

Castina.

AUGUST DELICIO

NAME OF TAXABLE PARTY.

Algaret successive ellers

Kalendis Augusti, hora locoste solisi

KDINBURGE

THE PERSON ASSESSMENT OF PERSONS ASSESSMENT OF THE PERSON OF THE PERSON

THE RESERVE TO SERVE

MEO PATRI,

QUAM MAXIME DILECTO,

HOC TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE,

OB MULTA IN ME

COLLOCATA BENEFICIA,

NUNQUAM OBLIVISCENDA,

DO,

DEDICOQUE.

Pater carissime, hoc opusculum, primitias meorum laborum, pignus grati animi, meique amoris, accipe. Tuæ curæ, solicitudinique, omnia, quæ possideo, debentur.—Utinam Deus vitam tibi longam et beatam reddat.

Vale.

MEO PATRI,

QUAM MAXIME DIESCTO.

HOS TENTAMEN MEDICEM INAUGURALE

OB MULTA IN ME

COLLOCATA BENEFICIA.

*ARRIGINA OBTIALERADY

00

RUPOSIGEG

Page cariginal, for epinacidan, primitor patron interes, pigas protess interes, policipigas grafi entine, maque manris, arrive. The cure, robinbadorique, camia, your peareira, defence.—Chinese Zhou videra tile langers at bourse reduce.

NECNON,

ROBERTO TAINSH, M. D.

AMICO EJUS OPTIMO,

OB MULTA BENEFICIA AB EO RECEPTA,

PAGINAS SEQUENTES,

TESTIMONIUM ANIMI GRATI,

INSCRIBI

VULT

AUCTOR.

James Hood for de Eigune
With the heat withes to
respect of his Friend Helluthor

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

AMBUSTIONIBUS.

Legibus nostræ celeberrimæ Academiæ obsequens, opus lubenter suscipio, et pro mea thesi considerationem Ambustionum selegi, quia mihi in animum venit, rationem medendi Astley Cooper Baronetti promulgando, hanc rem minus obscuram reddi posse. Sine mora fas mihi sit incipere, sequenti ordine observato: Primo, quorundam veterum, deinde Gallorum, postea quoque aliquorum nostratium recentium opiniones de hac re leviter attingam; postremo vero sententias A. Cooper Baronetti fusius persequar.

Celsus in lib. v. cap. xxvii. de adustis corporis locis, et quomodo curari debeant, ait, "Hæc autem (loca adusta) optime curantur foliis aut lilii, aut linguæ caninæ, aut betæ in vetere vino oleoque decoctis: quorum quodlibet protinus impositum ad sanitatem perducit. Sed dividi quoque curatio potest in ea, quæ mediocriter exedentia reprimentiaque, primo et pustulas prohibeant, et summam pelliculam exasperent: deinde ea, quæ lenia ad sanitatem perducant. Ex prioribus est lenticulæ cum melle farina, vel myrrha cum vino, vel creta Cimolia cum thuris cortice contrita, et aqua coacta, atque ubi usus necessitas incidit, aceto diluta: ex insequentibus, quælibet lipara; sed idonea maxime est, quæ vel plumbi recrementum, vel vitellos habet. Est etiam illa adustorum curatio, dum inflammatio est, impositam habere cum melle lenticulam: ubi ea declinavit, farinam cum ruta, vel porro, vel marrubio, donec crustæ cadant: tum ervum cum melle, aut irim, aut resinam terebinthinam, donec ulcus purum sit: novissime siccum linamentum."

Mihi minime spatium est opiniones Boer-HAAVI, VAN SWIETEN, et HEISTER memorare; sed a Doctore Kentish* satis demonstratum est, multam prævalere obscuritatem, in tempore nimirum VAN SWIETEN et HEISTER, in quorum operibus, in compendium redactam, veterum de medicina notitiam videmus.

Ratio medendi inter Gallos, ut per argumenta ejusdem auctoris satis constat, haud multo eandem apud veteres superavit; et hæc traductio, e "Dictionnaire des Sciences Medicales," sub capite "Brulure," veritatem hujus propositi satis, ut mihi videtur, edocebit. Historiam, prognosin et diagnosin, sicut res mentione indignas, præteribo; sed divisionem et remedia, ut momenti multo majoris, narrabo. Illa tribus stadiis gaudet; videlicet, primo, in quo inflammatio adest, quæ naturæ erysipelatis valde appropinquat; secundo, ubi est inflammatio cum vesiculis; et tertio, in quo vitæ cutis, telæ cellulosæ, et interdum musculorum deletur.

Ratio medendi primi et secundi stadii.—Pars injuria affecta in solutionem liquoris plumbi aceta-

^{*} Essay on Burns.

tis aqua frigidissima confectam immergenda, vel panni lintei eadem solutione madefacti assidue applicandi sunt. Pars quinque vel sex horas ita submersa amoveatur, et in pannis solutione supra dicta quaque semihora madefactis involvatur. Si solutionem e plumbo non possumus adipisci, astringentia decocta, vel frigidissimam aquam in locum ejus sufficere oportet. Si vero inflammatio adhuc perstiterit, applicationibus emollientibus et cataplasmatibus uti juvat. In ambustione secundi stadii vesiculas incidere necesse est, cuticula minime adempta, et sub forma emplastri medicamenta blanda et anodyna, sicut mistura ceræ, olei et laudani vel opii applicandi sunt; sed huic emplastro liquorem supra dictum, vel si multum inflammationis adsit, emollientia, superimponere debemus. In tertio stadio, ut primo aspectu magnitudinem ambustionis cernere non possumus, cerato et liquore ut antea uti necesse est, et exuviis separatis secundum artem ulcera tractanda sunt.

Ratio medendi interna, et præcipue in ambus-

tione tertii stadii.- Indicationes duæ sunt. Primo, inflammationem generisque nervosi perturbationem arcere, vel si accesserint obstare, cui satisfaciendum est a venesectione et a medicamentis blandis, antispasmodicis, et cæteris.-Secundo, vires sustinere, ne nimis copiosæ puris secretioni succumbat æger; et ad hanc rem tonica et cibum valentem adhibeamus oportet. Curandum est ne partes sanæ ambustæque inter se invicem cohæreant. His finitis, de opere Doctoris Kentish observationes tales videmus: "L'auteur (Doctor Kentish) observe que l'excessive irritation produite par la brulure est bientôt suivie de la faiblesse de partie brulée, qui parfois est frappée de gangrène. Pour prévenir ce résultat funeste, le Docteur Kentish recommande des applications stimulantes, chaudes, brûlantes, analogues au feu lui-même, et rejette comme nuisibles les epithèms froids. L'expérience semble venir à l'appui de ce conseil: en effet, on a coutume, lorsqu'on s'est brulé le doigt, de l'approcher d'une chandelle allumée, et ce moyen reussit ordinairement." !!!

Inter recentiores nostrates, sicut in eximio B. Bell * opere satis compertum habemus, methodus medendi valde incerta erat: ille tamen divisionem Fabricii Hildani adoptare non curavit! Industria vero Pearson, Thomson, et Kentish notitiam nostram de hac re multum adauxit, et præcipue, ut mihi videtur, postremus, qui primus remedia valida et efficacissima adhibere suasit, et ejus opiniones, nulla apologia prolata, hic brevissime transcribam.

Doctor Kentish narrat quomodo terebinthinam calefactam, aliaque stimulantia adhibere induceretur; nempe, inutilitate aliorum remediorum, quæ tunc in usu erant, bene perspecta. A factis theoriam deducit, et axioma sequens assumit, "That any part of the system having its action increased to a very high degree, must continue to be excited, although in a less degree, either by the stimulus which caused the increased action, or some other having the nearest similarity to it, until by degrees the extraordinary action subsides into the ordinary action of the part." Ambustiones sic di-

^{*} System of Surgery.

vidit: 1mo, Injuriæ a calore, ubi partium actio sola augetur; et 2do, Injuriæ a calore, ubi partium actio augetur, et aliquarum partium vita aboletur; et hanc divisionem duo in stadia, videlicet, in stadium stimulationis sanationisque subdividit.-Remedia Externa in divisione prima. Partibus pannus spiritu terebinthinæ calido madefactus bene obducatur; vel alcohole, vel spiritu camphoræ, vel brandy, rum, gin, (vernacule nominatis), vel partibus æqualibus tincturæ opii et spiritus camphoræ, vel, si nulla alia res in promptu est, aqua lavandulæ; omnibus vero spiritus terebinthinæ anteponendus est. Partibus spiritu bene lavatis, sequens sub forma emplastri est applicandum unguentum: Recipe unguenti resinosi quantum vis; sub tegula marmorea cum spiritu terebinthinæ usque ad unguenti mollis spissitatem bene fricetur. Horas post viginti et quatuor, emplastrum supra dictum amoveamus necesse est; et nunc, si parva fuisset ambustio, unguentum resinosum, vel cataplasma emolliens, per duos vel etiam tres dies substituere juvabit;

quo tempore pure formato, pulvere carbonatis calcis, cerato calaminæ, vel unguento oxydi zinci ulcus cito ad sanitatem perducetur. Nequaquam vero in ulla ambustione usum terebinthinæ continuare debemus, si ulcus nimis stimulet, sed remediis blandis supra dictis uti oportebit. Sed aliquando et spiritum et unguentum stimulans repetere idoneum est. In omni casu, emplastris paratis, vulnus cito obducendum est; sic enim dolor minuitur, et rigores impediuntur; quod maximi interest. Cuticula recens tenerrima est; caute igitur defendenda, et oleo simplici vel oleo camphoræ fricanda est. Si oculis injuria illata fuerit, et si inflammatio adsit, sequens maxime prodest medicamentum: Recipe liquoris plumbi acetatis guttas xx.; aquæ rosæ unciam; unguenti ceræ albæ unciam; misce ligneo cochleari, et in parva pelve liquefiant.—Remedia externa talia sunt; de internis nunc locus est dicendi. Humani corporis calor est circiter 98° gradus; sed, ut explanationem faciliorem reddamus, circiter 100° dicere liceat. Eodem per corpus pariter calore

diffuso, nempe ad centum gradus, alicui corporis parti aqua bulliens subito applicatur, illius actio partis statim usque ad 150° gradus, exempli gratia, augebitur. Actio igitur partem inter et reliquum corpus impar est, in ratione nimirum quinquaginta graduum. Curatio in actionibus æquandis constabit. Si vero actionem corporis ipsius usque ad 125° gradus excitare possim, actionis solummodo 25° graduum imparitas est. Indicatio curationis igitur erit quam repentissime velocissimeque maximam, quæ sine vitæ discrimine fieri possit, corporis totius actionem ciere. Calidæ aquæ et brandy, rum vel gin, cum tincturæ opii drachma, vel guttis centum et cochleari minimo spiritus ætheris compositi vel tincturæ opii camphoratæ dosis magna statim detur. Inter stragula calido in lecto ægrum imponere prodest; et si valde urgeant rigores, plantis pedum et scrobiculo cordis calida plenæ aqua ampullæ admovendæ sunt. Hæc remedia quam citissime adhibere maximi interest. Quum membra frigore adusta, si corpus nimis stimuletur, emortua occidant, eo, actione aucta locali, sicut in ambustionibus accidit, excitationem gradatim diminuamus, a 150° ad 120° gradus, ut nobiscum numeros finximus, necesse est. Sic, stimulato corpore, et partis actione aucta diminuta, æquilibrium in toto actionis restituetur, vel potius curatio perficietur. Quum tandem per horarum viginti et quatuor spatium, corpus, quantum sine periculo potuerimus, excitatum fuerit, hanc excitationem diminuere licebit. Die sequente negus, et subinde tincturæ opii paululum, si adsit dolor, adhibere juvat. Tertio die, pure formato, stimulantia omittenda sunt, et purgantia salina ad corpus sedandum et puris secretionem diminuendum dari possunt. Per certum solummodo tempus, remedia quam externa tam interna continuari debent, quia usu nimis longo nocent. Ambustiones graves hac tot diebus, quot hebdomadis altera methodo medendi sanavi; et aliis similis evenit successus.

Nunc ad eas ambustiones, ubi partium augetur actio, et aliquarum partium vita deletur, transeundum est.

Remedia externa.—Partibus mortuis applicationes nihil proficiunt; nostrum est partes vita præditas, sed injuria affectas sanare. Ad hanc rem spiritus terebinthinæ calefactus, sed minime diutius, applicandus est; et postea ad medicamenta lenia, qualia unguentum resinosum vel cataplasma emolliens, confugiendum est. Si vero secretionem puris nimis copiosam cataplasma reddat, pro aqua, liquore plumbi acetatis, vel paululo sulphate aluminis, qui lotioni, quippe quæ aliquando colicam inducat, antecellit, conficiatur. Ad pus absorbendum, sequens prodest applicatio: Recipe pulveris carbonatis calcis 3i.; pulveris amyli grana xij. Misce pro pulvere ulceri, præsertim juxta exuvias, copiose applicando; et cataplasma vel emplastrum ex cera et oleo superimponatur. Ne aliquis oriatur fœtor, exuvias tinctura myrrhæ abluere proderit. Quum autem omnes deciderint exuviæ, tali modo perfici curatio debet, ut non secretione sit major absorptio; quibus observatis, curatio usu pulveris carbonatis calcis et linimenti simplicis ad finem cito perducitur.

Chirurgum peritum oculus probe eruditus, utrum sedandum an stimulandum ulcus sit, certiorem faciet; et ille solus, remedia a me indicata cum aliis comparando, illorum excellentias æstimare poterit.

Remedia interna fere eadem, ut alias proposita, sunt. Jam diximus, pure formato, stimulantia intermittenda et purgantia danda esse; sed ubi late patent exuviæ, vitæque vires multum frangunt, non ita subito talia substituenda remedia ut in iis exemplis vel casibus ubi auctæ solummodo erant actiones; nam, ut sejungantur exuviæ, haud parvis viribus corporis opus est. Et nunc actionis unitate restituta, vires cibo valente et cinchona usque ad exuviarum separationem sustinendæ sunt; minime vero stimulantia, veluti vinum, spirits, ale, &c. dare proderit. Per aliquod temporis spatium anodynorum usum continuare necesse est; et ubi gravis fuerit ambustio, et remedia externa sæpe renovare juvat, mane et vespere, paulo ante vulneris inspectionem, anodyna repetenda sunt; et ne alvum opiata astringant, purgantia salina danda. Si autem pus nimis copiose formetur, intestina, ope calomelanos et pulveris jalapæ bis quaque hebdomeda, movere proficit, quod maxime ad sanitatem confert. In ambustionibus a pulveris nitrati (gunpowder vernacule nominati) explosione, eadem pari vi pollent remedia.—Et nunc, aliquorum veterum, Gallorum, et nostratium recentium ratione medendi breviter exposita, ASTLEY COOPER Baronetti, aliorum observationibus interpositis, sententias mihi fusius propositum est narrare.

In ambustionum effectibus contemplandis tria observantur stadia. In primo, inflammatio cuticularis cum cuticulæ vesicatione adest. In secundo, cuticulæ est separatio, cute modo leviter, modo graviter læsa et nudata. In tertio, demum, vitæ cutis partiumque subjacentium perditio plus minusve generalis, exuviis fere formatis, est. Hanc divisionem, nempe tria in stadia, ni fallor, primo Fabricius Hildanus adoptavit. Hic mihi memorare, Dominum Jones * eandem curationem, quæ A. Cooper placuit, laudibus efferre, licet.

^{*} Vide Modern Surgery.

Remedia Externa quæ corpori in primo stadio admovenda sunt .-- Non aperiendæ sunt phlyctænæ; aliter enim multum doloris et inflammationis excitatur. Forsitan haud multum e re mea erit observare, diversitatem opinionis minime parvam hic inter scriptores adhuc intervenire. B. Bell * ait, "In judging from my own observation I would say, that they should never be opened till the pain is gone; for during this period the pain becomes always more severe on the air getting access to the cavities of the vesications; but when the irritation produced by the burn subsides, they may be opened with safety, and at this period it ought always to be done, for when the serum is allowed to rest long on the skin beneath, it is apt to render it tender, and even to induce some degree of ulceration, which in this manner we prevent. Even at this time the vesicles should be opened with small punctures, so that as little air be admitted as possible," &c.

Doctor Thomson t, contra, phlyctænas mu-

^{*} System of Surgery. + On Inflammation.

crone acus aperire, nullo aëre admisso, suadet. "Seroque tarde fluente," ait ille; "tensio, quæ vesiculas comitatur, minime vero cuticula amota, minuitur, ægerque sic multum levatur."

Casus hujusmodi, etsi maxime generalis, haud multum periculi in se habet. Partem quam frigidissimam servare maxime proficit, et sic dolorem et inflammationem simul diminuimus; et ad hanc rem liquor plumbis acetatis, glacies et nix, acetum, aqua, &c. utenda, et sæpissime renovanda sunt. Partem affectam, ubi fieri possit, in aqua frigida, donec dolor et inflammatio discesserint, immersam tenere prodest. Doctor Thomson * casum narrat, ubi in usu hujus remedii quadraginta et octo horas perseveravit ægra: vesicatio minime apparuit quidem, sed œdema (utrum remedii casusve effectus esset non apparet) supervenit. Solutionem fortem sulphatis aluminis, vel etiam atramentum, cum spe commodi aliqua saltem, applicare licet.

Acetum antiquissimum remedium est; sed nuper a Domino Cleghorn † in omni casu, una

^{*} On Inflammation.

[†] Medical Facts and Observations, vol. ii.

cum pulvere carbonatis calcis, valde laudatum est. In opinione nostra autem, in hoc stadio imprimis, nisi solummodo etiam, utile erit. Doctor Thomson vero aliis præstare, quæ in usu sunt, remediis, non existimat. Glacies, et quoque nix, sicut a Jacobo Earle Equite satis monstratum est, utilissimum remedium est; præcipue vero, ni fallor, in hoc stadio; et Doctor Kentish, ut mihi persuasum est, Jacobum EARLE hoc remedio promiscue sæpe usum esse, demonstravit. Spiritus ætheris sulphurici evaporatio forsitan, nisi forte oris ambustiones excipias, proderit. Doctor Kentish vero ait. "That in this manner the person would be tossed from Scylla on Charybdis, and to avoid being boiled, he would be frozen to death."

Remedia vero, his valde diversa, in hoc stadio quoque adhibita sunt. Van Swieten et Heister juxta ignem vel candelam, vel in aqua tam calida, quam possit ferre æger, commode partem poni affirmant; et tali curationi Doctor Kentish haud dissidet. "Some hold," says Turner, "the burnt parts to the fire; others

dip them in hot water, or bathe them therewith, affirming the external heat, by a sort of sympathy, draws forth that which was sent in by the fire, according to that common saying, 'Omne simile, simili gaudet, vel simile sibi trahit; ignis ipse est sui ipsius alexeterium *.' '

Stimulantia quoque applicata sunt. Vino veteres, alcohole Sydenham, et nuper spiritu terebinthinæ Doctor Kentish, usi sunt. In ambustionibus "metallici tractores" minime prosunt. Hæc hujus stadii remedia sunt; refrigerantibus vero maxime confitendum est. Post dies octo vel decem, si non sponte effluxerit serum, ulcerationem excitabit, ut bene observavit B. Bell; aperiendæ sunt igitur vesicationes, et spiritus camphoræ dilutus, vel spiritus vini dilutus, applicetur.

Internis Remediis in hoc stadio vix opus est. Si vero gravis fuerit ambustio, si æger juvenis et plethoricus sit, vel si multum excitatum fuerit corpus, sanguinem mittere, cathartica adhibere, et diætam antiphlogisticam præscribere, sine dubio non alienum erit.

^{*} Thomson on Inflammation.

SECUNDUM STADIUM .- In hoc stadio cuticula amota, cutisque nudata fuit; et si late pateat ambustio, plurimum doloris et periculi adest. Et in casibus hujusmodi gravibus, in spatio duarum vel trium horarum, a maxima corporis, quæ excitatur, irritatione, mors interdum evenit. In casibus gravibus signa sequentia fere adsunt: Pulsus valde frequens et debilis, magna anxietas et dolor, vomitus, rigores, spirandi difficultas cum sensu funis circa pectus arcte ligati, et, si non ægro succurratur, singultus accedit, et comate sopitus, serius ocyus, sed fere circa tertium diem, e medio tollitur. Cerevisiæ coctores, qui in liquorem incoctum (Anglice wort) inciderunt, huic fato misero valde obnoxii sunt. Sæpe vero ambustiones hujus stadii minus periculosæ, et remedia interna non adeo valentia requirentes, accidunt; remedia vero externa eadem maneant.

Remedia externa in secundo ambustionum stadio.—Optima applicatio est linamentum ex aqua calcis (Carron oil vernacule nominatum), quod per penicillum capillaceum, plumarum fascicu-

lum vel pannos linteolos eodem madefactos, copiose applicandum est. Lactis vero et aquæ calcis partes æquales huic remedio forsitan antecellunt. Hæ applicationes dolorem minuent, cuticulæ vice, accessum vulneri aëris impediendo, fungentur, et postremo secretionem puris repriment. Linimentum ex aqua calcis plerique laudant auctores; et Doctor Thomson ambustionibus oris a pulveris nitrati explosione maxime prodesse existimat. Medicamenta e plumbo composita commendantur: sed colicam pictonum per absorptionem cuticularem, quamvis quibusdam alias persuasum est, sæpius excitant. Extractum opii in aqua solutum, ubi valde sævit dolor, proficit; sed magno vulneri fortem solutionem, ne aliquis applicet, As-TLEY COOPER monet; ait enim, coma et apoplexiam inducere sibi sæpius visam esse. Misturam olei et pulveris opii applicare expedit: Doctor Kentish vero oleo simplici, vel per se, non præstare dicit. Solutio fortis saponis in bullas excitati a Domino Birch de Saint Tho-MAS's Hospital commendata est *.

^{*} Pearson's Principles of Surgery.

Ratio medendi interna in secundo et tertio ambustionum stadiis maximi interest.-Hoc in stadio, secundo scilicet, ubi symptomata supra dicta adsunt, remedia potentia effectumque suum quam citissime præstantia esse debent. Remedia maxime stimulantia, cum opio conjuncta, veluti brandy, rum, vel gin, cum aqua calida commista, una cum tincturæ opii 3i., vel lxxx. guttis, vel spiritus ætheris sulphurici, vel spiritus ammoniæ compositi, vel tincturæ opii camphoratæ 3i., sine mora adhibenda, et pro re nata repetenda sunt. In calido lecto ægrum ponere, et ampullas aqua calida plenas scrobiculo cordis, plantisque pedum applicare, maxime utile est. Hæc remedia, secundum symptomata, sed fere per spatium horarum duodecim, una cum jusculo bovino aliisque similibus, repetere expedit. Hic autem nimis longo tempore in horum remediorum usu, non perstandum esse, memorare licet. Talis plerumque igitur ratio medendi est; sed ubi vel delirium vel apoplexia adest, sanguinem sine dubio statim detrahere necesse est, et postea stimulantia remedia, ut alias proposita, si

symptomata gravia supra dicta sese prodant, pariter prosunt. In casibus levibus stimulantibus non opus est; et Doctor Thomson venæsectionem, laxantia, diætam antiphlogisticam, et diaphoretica imprimis, et postea vinum et cardiaca commendat. In omnibus casibus, et præcipue in gravibus, opium, quippe quod dolorem levet et quietem conciliet, remedium præstantissimum existit. Prodest vero alvum leniter laxam servare, dum in usu opii continuamus. Talis est ratio medendi, quam statim adoptare juvat; et quæ sequitur, secundum symptomata ordinanda est. Curationi vinum, cinchona et cibus valens fere idonea sunt. Doctor Kentish vero suppurationem talia augere, et febrem hecticam inducere existimat. An vero sine puris formatione perfici curatio potest? Et nonne corpori id, ex quo formetur pus, præbere necesse est? Prognosis caute semper dicenda est: et ætatem, constitutionem, ambustionis magnitudinem, quæ omnia curationem plus minusve afficiunt, pendere oportet. Ulcera dolentia et curatu difficilia sæpe remanent; optima vero applicatio est unguentum

hydrargyri nitrati; et quando sanæ, et cuti pares granulationes fuerint, ad cicatricem sequens lotio cito perducit: Recipe zinci acetatis grana sex; liquoris plumbi acetatis diluti uncias sex. Misce. Sed si multum inflammationis adsit, cataplasma emolliens admovere proficit; et si puris secretionem nimis augeat, ex liquore plumbi acetatis diluto, vel ex paululo sulphate aluminis conficiendum est, vel pulverem carbonatis calcis, vel pulverem lapidis calaminaris sufficere proderit.

Tertium stadium est ubi vita cutis plus minusve deletur, plerumque cum formatione exuviarum.

Remedia externa.—In hoc stadio spiritus terebinthinæ calidus, una cum unguento resinæ, optima applicatio est; exuviarum separationem, quæ curationi maxime necessaria est, provehens. Quæ primis paucis horis sit applicatio, multi non multum interesse dicunt; huic vero opinioni haud equidem faveo. Si nimiam irritationem applicatio stimulans excitet, intermitationem applicatio stimulans excitet, intermitationem; et unguentum resinæ solum, vel cataplas-

ma emolliens, quod opportunissimum remedium est, vel e dauco, conio vel carbone ligni, secundum ulceris statum, confectum, substituere oportebit. Utrum autem applicationes calidæ an frigidæ esse debeant, æger ipse pro sensu suo docebit; illæ vero anteponendæ sunt. Ulcera, exuviis ejectis, secundum artem tractanda sunt; et remedia, quæ admovere necesse est, supervacaneum hic enumerare foret. Doctoris Thomson observationes sequentes, quæ maximi sunt, memorando, concludam *: "Whatever application irritates, gives pain, or renders the discharge thin and watery, is to be avoided, while those which we find, from trial, have a tendency to sooth the irritated surface, to promote granulation, and to improve the condition of the discharge, must be employed so long as they continue to produce these agreeable effects. In the management, however, of the sores from the separation of dead parts, as in those from other causes, a change in the applications made to them has often a most beneficial tendency."

^{*} Thomson on Inflammation.

Remedia interna.—In hoc stadio signa metuenda, quorum in secundo mentionem fecimus, simul cum virium vitalium depressione citius ægrotantem occupante, accedunt. Curatio igitur pariter prompta et strenua esse debet. Remedia igitur, quæ in secundo stadio commendata sunt, in hoc vel tertio stadio æque valent; sed, ut jam diximus, viribus vitæ rapide deficientibus, et morte imminente, sine mora ægro succurrendum est; et illa, quibus primam post diem et in refectione utimur, secundum symptomata varianda sunt. Plerumque vero, ut partes mortuas a vivis ejicere possit corpus, et, ut sub puris formatione sustineantur vires ægri, tonica, veluti vinum et cibus valens, danda. Cinchona, si stomachi et linguæ status, et symptomata alia, quæ adsunt, non usum ejus vetant, utilissimum remedium est. Ab omnibus vero non æque laudata est cinchona; et Doctor Thomson ait, "I believe it to be a remedy completely inert and inefficacious in mortification *." Opium in omni casu maxime proficit; sed, ut ne alvum astringat, soluta per me-

^{*} On Inflammation.

dicamenta tenenda est; purgantia vero, in omnibus casibus gravibus, ægrum vexant, et nequaquam danda. *Prognosis* a multis satis evidentibus pendet, sed caute dicenda.

Ambustionibus a pulveris nitrati explosione eadem remedia pariter prosunt. In hujusmodi casibus in cutem oris sæpe impelluntur grana, vultumque deformem relinquunt. Acu extrahenda, vel per cataplasma elicienda sunt; si vero, curatione perfecta, remanserint, vesicatorium, cuticulam granaque subjacentia amovendo, fortasse proderit.

In omni ambustione, ne partes ulceri propinquæ inter se invicem cohæreant cavendum est; et ad hanc rem emplastrum ex cerato simplici interponendum. Si quando prope articulum ambustio acciderit, ne rigeat nobis curæ sit.

For Man's relief the healing art was given;

A wise Physician is the boon of Heaven.

situa ensitue ejaviluje, egreu rezenti si hergradum danda. Prograzia a militis satis evi-

Ambostionibus a polyscia nitrata explosione sainte of property in bujusmodi casibus in quien property in bujusmodi casibus in quien deformera relimquitata. Acta extra benefit, well per restaplasma elicicada sont; si fenda, catalone perfects, reinamentini, visicato in catalone perfects, reinamentini, visicato.

don inter se invicem conservant cavendum esta enterpia esta mi base cem emplastrum ex cerato amplica enterpenendum. Si outuale prepa articulum

and the second s

Land of the second and the second of the sec

Name of Street or other Designation of the Owner of the O

The state of the s



